

Enoch Gläser Justus Ernestus Amelunck

## **Dissertatio Iuridica De Contractu chirographario**

Helmeſtadii: Heitmüller, 1659

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749787686>

Druck Freier  Zugang







N. h. — 2 (151.)



1. Rylius, de remedijs subsidiarijs.
2. Rylius, de invidiabilibus cautely obijciendis exceptionibus.
3. Rylius, de testamento temp. post. condito.
4. Soerel de montibus pietatis, vulgo nunc *Griffon-Pan* *Honud*  
*abr. Aulise Quintas* <sup>gratione</sup>
5. Soering, de redintegrat<sup>ione</sup> ~~in~~ <sup>matrimonii</sup>.
6. Soetfche, de subpactiali paterna consensu ad nuptias  
*Leucomfam*, requirito.
7. Soetfche, de jure apostolorum.
8. Saet, de confiscanda hereditate ab inultam mortem.
9. Glaeser, de vocatione in jus sine citatione.
10. Glaeser, de contracto chirographario.
11. Glaeser, de jure statutario.
12. Glaeser, de ea quae circa deos et in natura et ex instituto  
gestam est episcopi legitima in iudicio abliendi ratione.
13. Goelen, de crimine concussoris.
14. Winckler, de donatione remuneratoria *Feminar labruensis*  
*solacuratoris* consensu valida.
15. von Wintheim, de dote.
16. Pelgus, de jurisdictione episcoporum germaniae.
17. Willebrandt, de Genal. C. macedoniano.



18. Willebrandt, de venditione officiorum, cum Harleuij<sup>us</sup> de  
Circulari.
19. Willich de relictis non accedendis.
20. Winzelmann, de libello conventionali civili.
21. Hopp, de veritate uxoris.
22. Hopp, de inimicitis capitalibus, von Ludw. Friedl.
23. Hunnius, Lips. jurid. insignem et in foro quotidianam usarum  
materiam continens.
24. Homborgius, de contractu foerdae.
25. Hoepfner, de eis quod iuris est, circa testimonia declinan-  
da aut differenda.
26. Hofmeister, de ephoris iuventum, von Ludw. Friedl. by  
jüys fironen.
27. Holderrider, de principiis interpretationis legum  
adequatas.
28. Holtermann, de vario usu juris apud et abusu in curiis et  
Cancellariis.
29. Hilligerus, de bonae fidei iudicis.
30. Himmelmich, de Felonia.
31. Hünze de successione claudicante seu jure Successionum  
non reciproco inter parentes et liberos ex testamento et ab in-  
testato.
32. Hochmann, de benedictione nuptiarum.



DISSERTATIO JURIDICA  
DE

CONTRACTU  
CHIROGRAPHARI-  
RIO,

2 V A M  
D. O. M. A.

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

DN. ENOCH GLÆSERI

I. U. D. EIUSDEMQUE IN ILLV-  
STRI HAC JULIA P. P.

Dn. Præceptoris, ac Fautoris sui  
ætatem colendi

*Publici exercitij gratiâ ventilandam proponit*


JUSTUS ERNESTUS AMELUNCK

HAMELENSIS,

A. & R.

IN MAIORI IVLEO

Ad diem 2 Novembr.



HELMESTADII,

Typis JOHANNIS HEITMÜLLERI

Anno clj lxxlxi.



DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
CONTRACTU  
CHIROGRAPHARI

D. O. M. A.  
DR. ENOCH GLASSERII

IN D. EISENBERG  
STRIHAC JUBIA R. P.  
DR. PRAECEPTORIS, ac PRAELECTORIS  
HAMBURGENSIS

IN MAIORI VINDOB.  
AD diem 25 Novembris.  
1786

HELMSTADT.  
Typis JOHANNIS HELMSTADTII  
Anno 1786





I. N. I.

DISCURSUS

DE

CONTRACTU CHIROGRAPHARIO

THESIS I.

**N**on præter rem videbimur agere, quod de eo Contractu nonnulla delibare placeat, quem à Sacratissimo Legislatore JUSTINIANO introductum ac inculcatum, nescio quibus arietibus à nonnullis impugnari novimus. Quantum enim interest non temerè insultari Augustis nominibus, tam credo vel laudabile, vel saltem utile futurum, si tanti Præceptoris doctrinam ad trutinam veri paulò curiosius examinemus.

II.

Id verò dum nobis proponimus, hoc unum ex Principe Philosophorum præsupponimus fundamentum; *non frustra in societatem coisse homines, nec eam, nisi mutuâ horum ope posse conservari. Expressè is lib. 8. Eth. c. 9. Ob utile, inquit, aliquod conveniunt homines, aliquidq; eorum supeditantes, quæ ad vitam pertinent: & civilis communi utilitatis gratia videtur & à principio constituisse & perseverare.* Quibus geminum est illud Menandri:

*Ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον καὶ περὶ τὸν αἰῶνα πόλιν,*

*καὶ οὐ χεῖρα ἑτέροις, δὲ ἀνὴρ ὅσον τὸ δίκαιον.*

III.

Nimirum verpetua intercedit indigentia, quæ nisi

A 2

cx-



expleatur, profecto nullus Patrum familias, vel sibi met  
ipsi, vel uxori, vel liberis, aut servis suis sufficienter pro  
spiciet. Et, quanquam negari non possit, non minus se  
cundum naturam esse, quod nonnulli plura, quam opus sit, ha  
beant, fatente, quem jamjam laudavimus, eodem Aristo  
tele l. 1. Polit. c. 9. id tamen de omnibus vitæ instrumentis  
adfirmare, vix vero sit consonum; Quin eo vel maxime  
admisso plerumque tamen evenit, ut, quod alteri superest,  
alteri desit, ex sententiâ Pauli I Cti in l. 1. pr. ff. de contrah.  
emt.

IV.

Nati proinde tot modi ac rationes, quibus id, quod  
huic deest, ab alio, qui eo abundaverit, possit impetrari:  
Sed inter illos nemo dum potiores dixerit, quam Contra  
ctus, quos generali nomine sic vocamus: per hos enim u  
tilia inutilibus initio permutare, mox invento nummo  
tanquam sponfore ac fidejussore uti, ejusque interventu,  
tum à se invicem, tum ab exteris gentibus, quæ hactenus  
deficiebant, parare necessitas ipsa edocebat, ut rectissime  
docet Imperator §. 2. Inst. de I. N. G. & C.

V.

Idque ex nullâ aliâ causâ, quam, quod homines li  
beti, quales ipso naturali jure primo initio nasci fatetur  
idem Justinianus d. §. 2. I. de I. N. G. & C. nisi tantundem re  
ceperint, res suas vix communicarent, nec tamen à quo  
quam salvâ quidem ipsorum libertate ad id faciendum ad  
igi possent.

VI.

Sola fides adhuc restabat, quâ interpositâ se alter  
adstringeret, alterumque ad subministrationem necessa  
riorum invitaret. Quid enim, si nec pecunia, quam ta  
men præcipuam parandarum rerum mensuram jam dixi  
mus,



mus, suppeteret? Tum certè ad alios confugiendum fuit,  
qui ejus copiam sub illâ lege facerent, ut ea in genere ite-  
rum reddatur: Id quod in Mutuo adhuc hodie contingere  
non videmus.

VII.

Interim hæc ipsa, quâ talis, vix sufficientem ex sese  
producere poterat obligationem, nisi aliunde accederet  
aliqua coactio: quin primo fortassis in initio revera ita  
obtinuit, quod sapienter Euripides in *Hecuba*:

*Prudenti, ait, diffidentia*

*Nil est melius, nil utilius mortalibus.*

VIII.

Eadem igitur, ut magis atque magis firmaretur, sic  
que vim aliquam in sese conciperet, ad jus ipsum ac leges  
earumque auctoritatem fuit respiciendum; quâ ex causâ  
obligatio non sine ratione per vinculum juris describitur  
ab Imp. pr. 1. de Oblig.

IX.

At vero jus omne, si pro nostro instituto loquamur,  
vel naturale est, vel civile sive legitimum, ut vocat Ari-  
stot. *1. s. Eth. c. 7.* sequitur igitur, quam illud sustinet, *natu-  
ralem*, quam hoc solum, *civilem*, quam *utrumque*, non im-  
merito *mixtam* fore obligationem: quicquid etiam in  
contrarium nonnulli urgeant, inter quos Franc. Connan.  
*1. Comm. 6. n. 11.* Giph. *de divis. iur. thes. 56.* Ungebauer. *Exerc.*  
*10. q. 1. in Nego.*

X.

Unicuique sua virtus, sed perfectio non eadem; illi  
certè minor, isti major, huic maxima, prout egregiè de-  
monstrat ingeniosus Ictus Bernh. Suthold. *dissert. 13. aph.*  
*5. & plurib. seq.* quique eum sequitur Ampliss. Dn. Hahn:

A

Obs.



obs. ad Vvesemb. tit. de Oblig. n. V. Sufficiant in presentia.  
tam text. ex l. 13 & 26. §. 12. ff. de condict. indeb. l. 10. ff. de O. &  
A. l. 6. ff. de compens. l. 1. §. ult. ff. de novat. l. 6. & 7. ff. de fideiuss.  
§. 3. l. de Except. t. t. l. de L. O. & t. t. ff. quod met. caus. iuncto d.  
pr. l. de oblig. & l. 13. C. de coner. emt. Ita sanè se habet na-  
turalis, quam simpliciter & merè talem appellamus, ut in  
comparatione ad mixtam si communi nomine obligatio-  
nis appelletur, fortassis abusus aliquis statuendus sit  
cum ICro Juliano in l. 10. §. 4. ff. de fideiuss.

XI.

Sed est omninò, cur paulò propius ad nostrum de-  
scendamus Contractum, & quamnam hic ipse necessita-  
tem in sese involvat, penitius dispiciamus. Agamus ergo,  
quod ordo tractationis postulat, & primò appellationem  
ipsam spectemus, postmodum in ipsius naturam inquiramus  
magis curiosè. Conatibus autem hisce adspiret ex alto  
Deus!

XII.

Vox Contractus æquivoca est, cum aliquando latè  
(adhibebimus communem Interpp. loquendi morem)  
aliquando strictius, nonnunquam strictissimè usurpetur.  
Et illam quidem notionem complectitur, quando in l. 7.  
§. 6. ff. de constit. pec. l. 49. ff. de O. & A. & l. 23. ff. de R. l. de  
quasi contractibus etiam, imò in l. 3. §. 4. ff. ad SC. Sillan. de  
ipsis quoque criminibus ac delictis prædicatur: istam præ-  
fert, cum de quavis conventione perfectâ & ex se efficaci;  
hæc vero, cum de illis saltem dicitur, quæ mutuum in se  
nexum continent, quò sensu describitur in l. 19. ff. de V. S.

XIII.

Nos mediam significationem intendimus; cæterum  
notanter Contractum chirographarium hic appellantes.  
Præterquam enim quod ista sit maximè propria appellan-  
di ra



di ratio, simul & semel excludi statim volumus antiquas  
illas per scripturam se obligandi rationes, quarum præci-  
pua erat, quæ coram publica argentarii mensâ expedie-  
batur, & nominibus dicebatur fieri, prout ex *l. 27. §. 1. ff. de furt. & l. 9. §. 2. ff. de edend.* tum *l. 2. ff. de O. & A.* explicat  
Cujacius *lib. 22. observat. 4.* Quin & removemus illum al-  
terum morem, quo debitor in calendaria sive tabulas tum  
suas (nisi hoc ad majorem saltim probationem factum es-  
set cum Hottom. quis arbitretur) tum præsertim credito-  
ris se sub debitoris nomine inscribebat, easque ob signan-  
do firmissimè obligabat: quo de videri possunt Vultejus,  
Rittershusius & alij ad *pr. Inst. de obligat. literar.*

XIV.

Fatemur equidem si vocem Chirographi spectemus,  
non immeritò laxiorem videri. Designat quippe vel so-  
la nomenclatura generalioreni ejus significatum, cum à  
græco χείρ & γράφω sic dicatur, hoc verò sit longè latissi-  
mum. Quin si de privatâ duntaxat scripturâ intelligas, con-  
stat vel quatuor hujus haberi species; nempe *Epistolam*,  
cujus interventu animi nostri sensa absentibus explica-  
mus, *Librum sive indicem rationum*, qualem de quodiani-  
s expensis conficimus: *Arrham*, quæ factam à Debitore  
solutionem arguit, sicque vocatur *in l. final. §. 2. ff. de con-  
dict. indeb. & Antapocham*, quæ contractum ex adverso de-  
bitum testatur, cujus ut & istius fit mentio *in l. 19. C. de fid.  
instrum.* omnes vero istas enumerat Besold, Thes. Pract.  
voce *Handschrift.*

XV.

Interim quæcunque isthæc sint satius tamen videtur  
cum Alex. ab Alex. *Genial. dier. l. 2. cap. 31.* autographum  
vocare, quod quisque manu suâ scripserit: ut ita chirogra-  
phum in specialiori aut magis certè juridico sensu cum  
antapochâ notionem eandem involvat, & nihil aliud sit  
quam



quam scriptura sub nomine debitoris in testimonium ac  
fidem contracti debiti emissa. Hocque regulariter ut con-  
stare potest ex l. 57. pr. ff. de administrat. & pericul. Tutor. l.  
27. §. 1. ff. de Furtis l. 20. C. de fide instrument. & aliis text. a-  
liquando enim pro ipsâ ex chirographo actione accipi do-  
cet Julianus in l. 59. ff. de Legat. 2. cum, qui chirographum,  
inquit, legat non tantum de tabulis cogitat, sed etiam de acti-  
onibus quarum probatio tabulis continetur. Appellatione enim  
chirographi uti nos pro ipsis actionibus palam est, cum vendi-  
ditis chirographis intelligimus nomen venisse. Ita Ictus,

XVII

Quemadmodum autem alibi deprehendere licet Chi-  
rographarios Creditores dici, quibus saltim suppetunt pri-  
vati istius generis testes, fac. text. in l. 38. §. 1. ff. de reb. auth.  
Jud. possid. ita vel pari vel majori jure conventionem & ob-  
ligationem, quæ solâ Scripturâ perficitur Contractum Chi-  
rographarium vocamus, quod ex fundamento ipso & pro-  
priâ rei causâ convenientissimæ nascantur denominatio-  
nes.

XVIII

Sed ad ejus naturam paulò propiùs. Et hanc quidem  
per definitionem propositam unâ simul exhibebimus ope-  
râ, sicque dicimus esse Contractum Juris civilis nominatum,  
quo quis spe futura numerationis dato chirographo fatetur se  
ab alia accepisse quod reverà nondum accepit, eoque ipso ad eius  
redemptionem se obligat. Describunt eundem fermè in mo-  
dum Knipschild, Colleg. contract. disp. 7. th. 23. & Biccus  
Rer. quotid. sect. 4. n. 76. sed addunt, post biennium demùm  
debitorem ex eo teneri; quod an & quatenus verum sit ex  
sequentibus omninò patebit. Nos secundùm singulas De-  
finitionis partes progrediemur, jungi vero statim volu-  
mus, quæ tradit Nobil. Dn. Hahn in Observ. ad tit. de reb.  
credit. n. IX.

XVIII



Loco Generis vocabulum *Contractus* collocare placuit, nec tamen idem propterea per idem videbimur explicasse. Quis enim non libens fateatur longè diversissima esse Contractum Chirographarium, quatenus est aliqua species, quæ reliquis contradistinguitur, & Contractum in generico suo conceptu spectatum? Aut certè nec eos, quos innominatos communiter vocamus, communi isthoc nomine dignari fas fuerit. Sed quod pugnet cum *l. 3. §. 1. ff. de præs. verb.*

Dicimus esse Contractum *Iuris Civilis*, idque propterea, quod quantus quantus est, ab eo ipso & originem & formam suam receperit, eodem prorsus modo quo Stipulatio, quanquam hæc nudis verbis absolvatur. Et cognitum utriusque est Civiles Obligationes dupliciter dici, aliasque esse, quæ à Legibus positivis immediatè constituntur, V. G. de pauperie quadrupedum *l. 1. pr. ff. si quadrup. paup. arborum furtim cæsarum l. 1. ff. eo d. sit. furti nec manifesti §. 4. I. de noxal. act.* quæ XII. Tab. suos debent naturales; alias vero, quæ à Jur. Civili firmatæ duntaxat & comprobatæ sunt, quod de illis qui *§. 2. I. de I. N. G. & C. & l. 5. ff. de I. & I.* memorantur, asserere liceat. De utroque genere loquitur Imperator in *§. 1. I. de Oblig.*

Quin adèò Iuri Civili ascribendus est noster Contractus, ut eum vel solis Principum constitutionibus vires suas debere, videatur extrà controversiam esse ponendum. Arguunt id diversorum Ictorum, Ulpiani in *l. 2. §. 1. ff. de novat. l. 8. §. 1. ff. de fideiuss. l. 1. §. 3. ff. de pact. Gaji l. 1. §. 1. ff. de O. & A.* Modestini *l. 52. pr. ff. eod. pronuntiata*, qui reliquas Contractuum species enarrantes,



nè mentionem quidem hujus injiciunt; tantum abest ut aliquo eum loco habuisse videantur. Si quis autem quaeratur, quo igitur tempore primitus ceperit, dicendum, quod eo ipso, quo perpetuitas, ut ita nunc loquamur, Exceptioni non numeratae pecuniae adempta eaque intra quinquenni limites constricta est. Id verò ab Aurelio Anton. Imp. sec. II. post N. S. factitatum esse notat Dn. Hahn. loco paulo antè allegato.

XXI.

Sed fortassitum cepit duntaxat; quin adolevit quodammodo & magis atque magis invaluit sequentium etiam Imperatorum aetate, donec Justinianus non tantum istud tempus in unius biennij metas coarctavit *l. 14. C. de non num. pec.* sed & in aureis suarum Institutionum libris, quos hodie adhuc exosculamur, Contractibus reliquis expressè voluit contradistingui. Et constat utique, quod illa Constitutio cum Consulatus dignitatem secundum adeptus esset, proposita; hæc verò, cum tertià eadem vice fungeretur, confirmata fuerint. Id quod satis est argumenti, ad id, quod ipse jam sanxerat, cum maxime respexisse Imperatorem. Quin rectè quidem hoc; certè non finè exemplo factum esse probari ex eo videtur, quod & Zeno, Princeps Romanus, vi legislatoriae suae potestatis propriam Contractui Emphyteutico naturam statuerit; quæ verba sunt §. 3. *l. de locat. conduct.* & constat præterea ex *l. 1. C. de iure Emphyt.* Nisi cum nonnullis omninò magni Nominis Interpretibus in illam potiùs Sententiam descendere placeat; quod nil nisi solum nomen fuerit superadditum, cum antea ejus usus apud alias etiam gentes obtinuerit teste vel solo Aristotele *l. 2. OEcon. c. 1.* sed id in medio nunc relinquamus. Pugnant sanè in contrarium Guidode Suzaria *de I. emph. n. 1.* Goedd. *ad l. 27. de V. S. n. 19.*

Bocer.



Bocer. *Class. 2. disp. 14. th. 1. Scukius p. 7. Exercit. Justin. dec.*  
*12. ass. 6. lit. d.* ut Alberici de Rosate, vel Bartholi vel Ac-  
cursij nè mentionem quidem faciamus.

XXII.

Quid verò? Annon potius doctrinæ veterum ascri-  
bamus, quod constet ex eorundem scriptis, præcipuè ve-  
rò Caji Institutionibus Institutiones Justinaneas esse con-  
fectas? Ita non immeritò videatur; & hoc ipsum quodam-  
modo urget Cl. Salmasius *Lib. de usur. c. VI.* qui hunc in  
modum, *Literarum obligatio*, inquit, in *Institutis* titulus  
est, qui Triboniani manum mihi sapere videretur, stilumq; eius  
seculi, nisi apud Cajum huius mentio Obligationis fieret, quæ  
literis contrahitur. Sed cujus Obligationis apud Cajum  
fit mentio? Cerè non hujus ipsius, de quâ Imperator in  
Institutis suis loquitur. Audiamus ipsum iterum Salmasi-  
um, post multa suo more interjecta sic pergentem: *Cum*  
*eam, qua literis contrahitur, explicat* (Sermo autem ipsi  
est de Cajo ejusque traditis in tit. xvii. qui de obligati-  
bus inscribitur) *nihil de nominibus faciendis interjicit, aut*  
*obligatione per scripturam contrahendâ, sed hæc tantum ha-*  
*bet: Literis obligatio fit aut à re in personam aut à persona in*  
*personam. À re in personam, velut, si id quod ex emtione, con-*  
*ductione, societate debes alijs reddas. À persona in personam,*  
*velut, si id quod mihi alter debet, alteri personæ delegem,*  
*ut reddere debeat. Delegationem his verbis planè designavit.*  
Quid ergò? annon & res ipsa & propria magni aliàs viri  
assertio sic satis arguit, nè quidem attigisse Cajum, quæ  
ad Contractus nostri naturam vel hælum facerent.

XXIII.

Id concedamus, communem appellandi rationem à  
Justiniano vel Triboniano reliquisque compilatoribus  
fuisse reientam; Eandem tamen communem non ampli-



us mansisse ex quo veteres illi per scripturam se obligandi ritus inoleverent, in propatulo est. Immo jam adeo proprium restat nomen, ut eidem & soli & semper non tantum conveniat, sed & specificam ejus formam quodammodo denotet; quæ causa est, quod nominatum J. Civilis Contractum vocaverimus.

XXIV.

Quodammodo autem & ex aliqua saltim parte ipsius forma denotatur. Cæterum, si accuratius eam pernoscere velis ad unum atque alterum requisitum videtur respiciendum, & ideò juxta ductum propositæ Definitionis hæc quatuor præprimis attendenda esse. (I.) Confessionem debiti fieri; & quidem (II.) per Chirographum: antè factam (III.) numerationem sub solâ illius spe; & (IV.) contententem ex solâ isthac scriptione obligari: quanquam, quod ultimo loco recensuimus à reliquis distingui possit, tanquam effectus à suâ causâ.

XXV.

Per Confessionem nihil hîc designari cupimus, quam clarâ alicujus de contracto à se debito assertionem; non nescij quæ aliàs ad *tit. ff. de Confess.* ab Interpretibus abundè cumulantur. Quemadmodum autem nulla, etiam in Iudicio facta, satis efficax est, nisi spontè ac liberè fuerit emissâ: (conferantur, quæ præter alios notat D. Bicc. *Rep. quotid. Sect. V. n. 123.*) ita deliberationem & animum in hæc ipsâ quoque requirimus.

XXVI.

Eam mediante Chirographo fieri volumus. Et id rectè quidem, quod ex hoc vis omnis obligandi dependat, & exindè differentia specifica, quæ ab aliis contractibus hunc nostrum separet, sit petenda. Sed videntur rursus obstare, quæ doctissimus Salmasius l. c. sic satis specio-

se in



se in medium proponit. Si enim, quæ ipsius mens esse videtur, in Stipulationibus quoque vis eadem Scripturæ comprehenditur absurdum jam erit, Contractus Chirographarij formam, per quam à Stipulatione discriminetur in literis ponere. At verum ex ipsius mente est prius. E. & posterius. Sed fortassis prius verum est; fortassis etiam falsum; nos certe non perdemus operam, si, cum aliquid scribendum sit, in hunc ipsum quoque campum excurramus.

XXVII.

Hæc Summi Viri sunt verba: *Distinguit Ulpianus scripturam à Stipulatione, quia Stipulationem propriè sumis non de eà qua scripto consignata est, sed quæ verbis tantum pronunciat a.* Quibus ipsis sanè duplicem agnoscit Stipulationis (voce scilicet largius acceptà) speciem; scriptam nimirum & pronunciatam, quæ *νατ' ἐξοχλυ* talis sit. Mox cum Pauli assertionem, quæ habetur in *l. 38. ff. de O. & A.* recitat; de Stipulatione interpretandam esse monet. Illa verò sic habet: *Non figurà literarum, sed oratione quam exprimunt litera, obligamur, quatenus placuit non minus valere, quod scripturà, quam qua vocibus linguà figuratis significaretur.* Quin ulterius confidentissimè astruit Stipulationes Chirographis conscriptas plus valuisse quàm non scriptas; idque per *l. 1. C. de usur. & sumto ex Senecæ de benef. lib. III. c. 19.* sive argumento sive testimonio, cum *Adhibentur, inquit, ex utrâq; parte testes. Ille per tabulas plurimum nomina interpositis pararijs facit. Ille non est interrogatione contentus; nisi reum manu sua tenuit.*

XXVIII.

Ferunt isthæc, quod fatemur, aliquem præ se colorem, vel, si quis ita vocare malit, larvam veritatis, sed quam facillè derra here liceat. Et Senecæ quidem effatum, quod attinet, non disputabimus nunc de verbis ipsis & de



illa Phrasi cum maximè; num reum manu sua tenere sic eadem cum altera; Chirographum rei habere? Ita sibi persuadet vir doctissimus: sed si quis divinariam Explicationem dixerit, non omnino, ut putamus, erraverit: sensu certè longè alio totoque, quod ajunt, cælo diverso Ictus Cajus loco ibidem citato, *Creditor, inquit, qui pecuniam dedit, in potestate habet ad reddendam pecuniam, quem velis tenere, utrum ipsum debitorem, an fideiussorem.* Immodè istius loci lectio est. Quid ergo? An non satius fuerit accedere plurium assertionibus, qui pro voce reum potius substituunt rem, ut eò minor restet difficultas. Sed inficetissimè id fieri Salmasius judicat. Esto id quidem; nam multi

nasum Rhinocerotis habent; Nobis magni semper habita est J. Lipsij autoritas, multum itaque in ipsius iudicio ponimus. Ast hic *Comm. ad eund. locum*: Libri aliquot reum legunt, sed rem tenemus, & pignus *εἶς χρῆσιν* interpretamur. Aliquis, inquit Seneca, ita diffidit, ut nullæ tabulæ aut sponciones satisfacere: sed rem tenere manu voluit & in potestate habere pignus. Hæc obiter.

XXIX.

De principali Quæstione dispiciamus, num Stipulationes Chirographis conscriptæ plus valuerint, quàm non scriptæ? Ita nimirum Imp. Anton. in *l. i. C. de usur.* Si interrogatione precedente promissio usurarum rectè facta probetur, licet instrumento conscripta non sit, tamen optimo iure debentur. Quid jam? An affirmativam ex laudatissimi Principis rescripto exculpamus? Sed id quidem factu difficilior videtur, quàm Salmasio visum est: quin hoc potius exindè manifestum evadit, neq; ad constitutionem, neque ad probationem Stipulationis, Confectionem instrumenti



menti præcisè esse necessariam; sed in sese sic satis roboris continere. Et quæri utique possit, an omne Instrumentum simul ponat Chirographum? Sed nemo sanus id dixerit, nisi & Syngrapham, quæ ita vocabatur, unam eandemque cum Chirographo habuerit, sed quod esset contra doctissimi Salmasij doctrinam, qui, *Syngrapha*, dicit, à *Chirographis* differere, vel eo discrimine, quod non sicut in *Chirographis* debitor ipse fatebatur se accepisse pecuniam, sed exponeretur in eâ quid inter utrumq; convenisset de sorte, de usuris alijsq; debiti conditionibus item de pignoribus & hypothecis sub quibus pecunia esset credita, eo planè modo quo narratio historica contexti aut fabula narrari solet. Quid si dicamus Imperatorem per Instrumentum non Chirographum aliquod, sed Syngrapham, aut qualémcunq; aliam Scripturam per hodiernos etiam Tabelliones super negotiis jam gestis contexti solitam intelligere? Id utique tantum abest ut menti legis adversum sit, ut ratio ejusdem vix aliam quidem expositionem admittat.

XXX.

Est autem, quod promittendi Reus ipsa etiam manu sua testatus fuerit, ad quidnam & in quantum se astrinxerit, erit tamen id non nisi extrinseca quædam qualitas, ut eam appellat Sîchard, *ad d. l. r. C. de usur.* Stipulationis, quæ præcesserit, essentiâ nihilominus ex solis adhuc verbis subsistente; nec plus virtutis vel virium ex incidentibus literis recipiente? Verissima quippè sunt, quæ in simili Ampliss. Hahn. *in Obs. Theor. Pract. ad tit. de V. O. n. 12.* tradit, quod, si, ut hodiè plerumq; fit, in Instrumentis Obligatoris fideiussorum Stipulatio in scripturam redgatur, scriptura tantum pertineat ad formam probatoriam. Et quis aliud occasione dicti tex, vel somniet?

XXXI.



Restat Responsum Pauli ex all. l. 38. ff. de O. & A. sed ad quam cum eod. D. Hahn. l. c. brevissime respondemus, non eam aliter, nisi in terminis habilibus intelligendam, scilicet verbis vel literis contrahi posse, ubi ex natura contractus verba precise non requiruntur. Nec enim novum in Jure nostro est generalibus Ictorum assertionibus in hac vel illa specie derogari, vel easdem saltem restringi juxta express. tex. in l. 80. ff. de R. I. Constat autem ex Ulpiano in l. i. pr. ff. de V. O. quod Stipulatio nullâ ratione confici possit, nisi utroque loquente, hoc est, verbis congruè prolatis de dando vel faciendò conveniente. Quæ expressa decisio ad eò movet Bachovium, ut miretur, undè Wesenbecius, qui non minus contrarium astruit, in tam absurdam sententiam delapsus sit: Sed è re fuerit conjungere simul, quæ notat ad Trentl. vol. 2. disp. XXVI. lit. E. Nobis pergen- dum est.

Præsupposito igitur, quin satis demonstrato Stipulationem, nequàm alios contractus ad formalem sui rationem non indigere aliquâ Scripturâ vel literis, non dubitabimus amplius, quin in his essentiam & formalitatem nostri Contractus collocemus: additis tamen & reliquis requisitis, de quibus paulò post. Id unum in antecessum monemus, non sine causâ nos & confessionem factam, & eandem per Chirographum factam conjunctim attendisse. Ut enim negari fortè non possit in omni Chirographo, saltem virtualiter subesse simul de debito confessionem; vice tamen versâ id neutiquam procedere putamus, ut, ubicunq; intercedit confessio ibi statim adsit Chirographum. Quid enim si quis pecuniam mutuo accepturus sponderit, hoc est, ore ac verbis de redditione caverit credi.



creditori futuro? Eo ipso quidem simul videtur confiteri;  
sic explicante Fr. Card. Mantica, de tac. & amb. convent. lib.  
28. tit. 1. n. 15. quia tamen Chirographum non accedit, nisi  
numerata pecunia, nulla est obligatio l. 30. ff. de reb. cred.  
sed res in se sic satis videtur manifesta.

XXXIII.

Id dubij subnascitur, quid asserendum sit ex commu-  
ni Dd. hypothese, quod quilibet ex sua confessione, sim-  
plici etiam ac nuda, possit conveniri, qua de post Bartol.  
videatur Eman. Costa ad l. si ex cautione 3. C. de non num. pec.  
quique hunc allegat Dn. Franzk. Exer. 10. Q. IX. n. 10. Po-  
namus aliquem in hunc modum argumentari: Ex quo-  
cunque datur in personam actio illud in se continet obli-  
gationem. Atqui ex simplici etiam confessione datur in  
personam actio. E. Majorem utriusque nemo negaverit;  
Minorem vero communis illa Interpp. Schola inculcat,  
sicque, quod inde concluditur sat firmo hactenus talo sub-  
sistet, & per consequens non erit opus Chirographaria  
cautione. Sed quicquid sit non dubitabimus rament in  
priori Sententia persistere, quod istud axioma Dd. de ca-  
duntaxat confessione intelligendum sit, qua veram ali-  
quam causam in se contineat, aut hac negata vel judicia-  
lis, vel iuramento confirmata vel in ultima voluntate fa-  
cta fuerit; de quarum neutra nobis hic sermo: id vero in  
torum negatur, quod vel aliquod in presenti vel fingi pos-  
sit fundamentum; praesertim cum & posteriores, quos e-  
numeravimus, casus sua dubitatione non careant, secun-  
dum ea, qua tradit Dn. Hahn. ad s. de Confess. n. V. ut alio-  
rum serinia jam non excutiamus.

XXXIV.

Sed duo adhuc requiruntur. Nimirum ut Chirogra-  
phum sub sola numerationis spe scriptum sit, & ex eo solo  
nasca-



nascatur vis obligandi. Utrumque, ut constat, æque necessarium est; sed de illo minùs fortassis hæsitandum. Rationem si quis quærat omninò hanc assignabimus, quod aliàs, posità reali numeratione, poneretur simul Contractus realis: non obstante Chirographo quod solam eo casu induceret probationem. At verò de eo nos in præsentiarum solliciti non sumus, sed talem spectamus, quæ reali opponatur. Rectissimè igitur numerationem excludimus, idemque facit *Imp. tit. I. de L. O.* ubi, *si quis debere, inquit, se scripserit, quod sibi numeratum non est, de pecuniâ minimè numerat à post multum temporis exceptionem opponere non potest.* Quibus clarius nihil dici possit.

XXXV.

De Obligatione, quæ inde oritur, longè major existit controversia. Initiò enim negatur à quibusdam ex simplici Chirographo exurgere istiusmodi nexum; deinceps eo vel maxime concessio dubitatur tamen, an naturalis; an civilis, an mixta sit obligatio, quæ inde suum robur arcessat? De utroque videamus.

XXXVI.

Et illud quidem quod attinet non ignoramus ab aliquot Interpp. eam dubitationem, sive exercendi ingenij sive aliis de causis motam; sed post Gifanium, Rittershusium & Althusium ab ullo vix acrius agitatum fuisse, quam à Baehovio, subtili Icto, tam *singulari*, quem ipse allegat, nos tamen, quod fatemur, non vidimus, *libello*; tum *Commentar. ad I. tum Not. ad Vvesenb. tit. de reb. cred. n. IX.* & vel maxime ad *Trentl. Disput. XX. th. 2. lit. B.* Sententia verò ejus hæc est, *quod si in presenti negotio subesse debeat obligatio ea ex mutuo potius, eoque presumpso; quam ex Chirographo videatur enasci, & consequenter fatendum sit, à Iustitiano non nisi abusive & improprie & pinguiori Minervâ (ita enim*



enim loquitur) *ex literis appellatam esse*. Sed mirari utique cum Harprechtoliceat, qui in presenti adeo rigide in Augusti Imperatoris doctrinam advertat, cum alias in eos soleat invchere, qui unum saltim atque alterum ejusdem verbum turbare vel corrumpere audeant. Certè, cum in §. 12. *I. de inutil. Stip.* Fr. Hottomannus, in corrigendis quidem textibus paulò liberalior, immutandum quicquam censeret; *Quid tandem*, indignabundus quodammodo inquit, *in jure nostro certum erit, si cuius Interpreti ex cerebro suo licet refigere textus.* Prurigo hæc est novatorum, corrumpende Jurisprudencia, quam angue & cane peius odisse debemus. Sed hæc quidem religio tum ipsum tenuit; ceterum non desunt & alia exempla, quibus vel Imperatorem vel Tribonianum more suo egregiè vellicat.

XXXVII.

Nobis, cum non verisimile sit ab Imp. tantam rem tam negligenter actam, Tyronibusque Juris Contractum hunc distinctim inculcatum; cum reverà vel talis vel à mutuo distinctus haud esset, quis vitio vertet, quod doctrinæ Justinianæ paulò simus tenaciores? Agamus ergo, & quid veri, quæ Bachovius urget, contineant, inquiramus.

XXXVIII.

Sequemur autem Disputationem ejus Treutlerianam, quod in hæc omninò plura, si non fortiora, quam alibi proponantur argumenta. Inter ea primarium hoc est, quod cuiuslibet intentionis & actionis natura simul arguat qualitatem & conditionem obligationis tanquam cause & matris. At, dicit, nulla quidem fingi potest, certè nulla à *I. Civ. comprobata est ex literis actio. E. nec talis præsupponenda obligatio.* Minor cum probanda esset ad *l. 3. C. de non num. pec.*



provo cat; ex qua constat actorem sive creditorem non in  
Chirographo, sed in ipsa numeratione intentionem su-  
am fundare. Sed quod pace vel ipsius Bachovij vel alio-  
rum, qui aliter fortassis explicant, dicere liceat, tantum  
abest ut praesidij quicquam in isto tex. collocandum vide-  
atur, ut contrarium & nostram potius Sententiam firmet.  
Quid enim est quod Imp. Severus & Antoninus A. De-  
metrio rescribunt: *Si ex cautione tua conveniri ceperis?*  
Nonne eo ipso fatentur & praesupponunt; Actionem ali-  
quam ex scriptura vel cautione alterius nasci posse?  
Neque officit, quod ibidem factae numerationis fiat men-  
tio; unde concluditur in hac potius actionem illam radi-  
cari. Resp. enim id non simpliciter fieri sed in relatione  
ad oppositam exceptionem. Et diversissima utique sunt:  
ex numeratione agere; & ad eandem probandam ex con-  
sequenti astringi. Hoc ut fiat non poterat non operari  
dicta exceptio, quae id speciale praereliquis habet privile-  
gium: istud vero ne fieri quidem potuit, quod nulla qui-  
dem numeratio sit facta.

XXXIX.

Pergit Bachovius: *Quo probato actor non vincit in eo  
fundamentum obligationis esse nequit. Atqui Scriptura pro-  
bat non vincit Actor. E.* Et hic nodus non nullius momen-  
ti; talis certe est, ut praeter reliquos doctissimum quem-  
que constringere possit, prout fatetur D. Franzk. *Exer. 10.  
§ IX. n. 19.* qui ei extricando tam sedulam quoque adhibet  
operam; ut eò nos merito referre possimus. Si tamen,  
quae nostra Sententia sit, exponi etiam fas est, non vide-  
tur adeò simpliciter acceptandum, quod in Majore argu-  
menti Propositione pro certo asseritur. Ponamus V. G.  
contractum esse inter duos verum mutuum; ex interval-  
lo autem temporis successisse pactum, quod ita vocatur,  
de



de non petendo: jam creditor quoad Ius agendi, quippe quod per pactum, tanquam factum aliquod *l. 27. §. 2. ff. de pact.* infirmari non potuit, se rectissime fundat in mutuo, & ita debitorem, quam utique sibi adhuc obligatum habet, in iudicio petit condemnari. Sed id quidem frustra & incassum: cum semper obstat istius pacti exceptio; in tantum, ut si ex actis manifesta sit, aut ex documento publico, adversus quod nihil probabile adversarius reponat, constet, ipsum etiã litis ingressum impediatur, quemadmodum ex Alciato, Jafone & aliis ad *l. 5. C. de pact.* notat Zanger. *Tr. de except. p. 2. c. 13. n. fin.* Argumentetur igitur aliquis: Quoc, probato actor non vincit in eo non est fundamentum obligationis. Atqui in dicto casu Creditor, tanquam actor, probato mutuo, quod revera intercessit, tamen non vincit. E, mutuum non est fundamentum istius obligationis. Ast hoc dicere vel sit absurdum: vel ut aliud fundamentum præsupponat, necesse est. Hoc fieri per naturam actus non potest. Sequitur igitur alterutram præmissarum fallere. Non minor, quippe quam nemo negaverit, E. Major, quæ est Bachovij.

XL.

Nec quicquam nos mover, quod, *non idè rem condempnari*, dicit, quod scripserit se debere, sed quod ex propria confessione pecunia numerata & accepta præsumatur: hoc enim adhuc in quaestione est. Et quæramus utique, ex quam præsumptione condempnetur? An ex eà, quæ hominis dicitur? Id nemo dixerit. An ex præsumptione Juris? id majorem speciem habeat: sed quænam id jura præsumunt? An eadem, quæ ex cancellato Chirographo solutionem factam esse supponunt, ex doctrinâ Pauli ICI in *l. 24. ff. de probat.* Sed hoc affirmare sit contra dispositionem ipsarum Legum, quæ contrarium potius, quam quod Præsumptiones

C 3

nes



nes Juris operantur, induxerunt. Satiùs itaque fit in una  
Scripturà collocare vim obligationis: ut nè posito uno in-  
convenienti sequantur infinita.

XL I.

Accedamus ad rationem, quam ita ipse numerat,  
tertiam. Hæc verò habet, quod in eo necesse sit fundamentum  
obligationis inesse, quod oppugnatur ab exceptione: Atqui Ex-  
ceptio quæ a reo convento ex hæc obligatione accommodatur, op-  
pugnet, non scripturam, sed numerationem: E. Sed ad istam  
paucis respondemus, quod hypothesis illa, quam antee-  
dens ostendat, sit valde incerta, quin planè fortassis falsa.  
Quidem? Annon ipse Bachovius ad §. 2. I. de except. fa-  
retur (1.) Stipulationes de reddendâ pecuniâ in mutuo sub-  
jici posse ex l. 6. §. 1. & l. seq. ff. de novat. (2.) Idem aliquan-  
do accidere, cum nondum facta sit numeratio: (3.) pro-  
mittentem ex Stipulatu (istam enim Actionem assignat  
Imperator) conveniri: sed (4.) exceptione non numera-  
tæ pecuniæ defendi? Argumentamur jam: Si actioni ex  
Stipulatu verè ac propriè tali opponi potest non num. pec.  
Exceptio, sequitur necessum non esse, ut cui opponitur  
exceptio id sit causa obligationis. Atqui verum est prius,  
tùm ex doctrina Justiniani, tum ex confessione ipsius Ba-  
chovij. E. & posterius. Rationem consequentiæ vel qui-  
vis ex se colligat, vel nos dabimus in conflictu. Id meritò  
& superpondij cujusdam loco notamus, vix nos capere,  
quod eodem ad Treutl. loco addit: Si ex scripturâ hæc obligatio  
& actio esset perindè ineptè excipi de non factâ numeratione,  
atq; si agenti ex Stipulatu talis exceptio opponeretur. An Ba-  
chovium Bachovio putemus adversari? Sed ad reliqua.

XL II.

Nullò autem loco habemus, quæ ex Gajo in l. 1. de  
O. & A. & Ulpiano in l. 1. de pact. adducuntur. Immo nos  
supe-



superius jam in *Th. XX.* eisdem text. adduximus in medi-  
um simulque libentes concessimus illis in locis non fa-  
ctam esse huius contractus mentionem. Facit quidem a-  
liquid, quod vixerint (quanquam de Ulpiano saltem id  
certum sit) eo ipso tempore, quo *l. 1. 2. cum paucis seqq. C. de non num. pec.* prodierunt, sed cum pro speciali contractu  
communiter non haberetur mirum non est sic eos ipso pe-  
de, ut in Proverbio dicitur, eundem præterisse. De Ju-  
stiniano quod affertur id explicandum sine dubio secun-  
dum ipsam ipsius mentem, quam ex *tit. l. de L. O.* adeò clá-  
re, ut magis non possit, colligere cuius integrum est. Dd.  
verò auctoritas, quibus Treutlerum convincere conatur,  
jam nullam nobis, qui liberè ita sentimus, imponat ne-  
cessitatem. Aliàs & Bachovius, quem magni aliàs ma-  
gno suo meritò facimus, eandem nobis legem scribere  
possit.

### XLIII.

Revulsis ita, quæ contrarium vel suadere videban-  
tur vel imperare, quid obstat amplius, quò minùs talo sic  
satis firmo subsistere putemus nostram, quam ex Chiro-  
grapho provenire diximus obligationem? Recurrit qui-  
dem Bachovius ad ultimum asylum *l. 5. C. de non num. pec.*  
ubi quasi *credita pecunia* dicitur, sed quis non libens fatea-  
tur, Metaphoricam ibi esse locutionem quam ex naturâ  
rei, de quâ prædicatur, tutissimè liceat interpretari? Non  
sanè hîc intercedit sive præsumtum aliquod sive quasi mu-  
tuum, quia nè minima quidè sit de veri mutui essentiâ par-  
ticipatio? multò minùs est verum mutuum, sive  
respicias intentionem actoris, sive non respicias:  
cum desit id omne, in quo ejus essentia perficitur. Rem o-  
mnem conficiat Theophilus, Paraphrastes Græcus, qui  
cum Stilo simplici ac plano & formam nostri contractus  
descri-



describat, & suam sententiam de ejusdem obligatione exponat non erit abs re verba ejusdem, utut pluscula, hinc inferere. Ita vero habent ex Interpretatione Jacobi Curtij Icti Brugensis: *Invenias hodie, si diligentius inspicias, in communi vita versari quandam literarum obligationem, sed que aliam formam aliamque* (respicit ad ea quae antea dixerat) *figuram habeat. Nam si quis cum a me mutuari vellet, eam de me mihi locutus sit & ego ei, (an satis latine?) jufferim ut Schedulam mihi conscribat: atque is illam solus me non praesente conscripserit, in qua talia quadam dixit: Hodie ego ab illo mutuum accepi & hac debeo, nec ulla Stipulatio ascripta sit, aut quae scripta est inutilis sit, propterea quod in re gerenda creditor praesens non fuerit, queritur, an multo tempore post illa elapso agi cum eo possit, qui dictam Schedulam emisit? Et dicimus, personam hanc ex obligatione, quae re contrahitur, conveniri non posse: quia nulla numeratio intervenit. Neque, rursus ex verborum obligatione, quia Stipulatio nulla intercesserit, aut quae intercessisse dicitur, non praesente utraque parte intercesserit. Reliquum est ergo, ut ex suis literis obligata sit. Ecce igitur, quod & hodie quis ex literis obligetur. Haec Theophilus & recte.*

XLIV.

Subjungemus, cum praeter opinionem prolixiores fuerimus, Quaestionem alteram. Ea vero, ut superius jam dictum est, in hoc absolvitur, an *Obligatio*, quam hinc subesse demonstravimus, *vel naturalis sit, vel civilis, vel mixta?* Sed paucis ei satisfaciamus: simpliciter quidem asserendo, quod conditionis sit mediae. Nec arbitramur vel ullum temporis habendum esse respectum, ut statuit *Timaeus Fab. D. ad I. 23. th. 11. lit. A. Ricmer. D. 10. q. 8.* & alij: alias enim dicendum fuerit exinde vim obligandi dependere contra *l. 44. §. 1. ff. de O. & A.* quin nascitur statim ex quo



quo emissum est Chirographum saltim quoad actum pri-  
mum, ut loquitur Ampliss. Dn. Hahn. *add. t. de reb. cred.*  
intentari autem semper potest actio, utut intra biennium  
contrariâ exceptione possit oppugnari. Rationes hujus  
assertionis in Examine plures dabimus; remittentes nos  
interim ad Franzkii jam aliquoties laudati *Exerc. 10. Q.*  
*IX. n. 35.* nec tamen nescij quid hæc de re disputet Fr. Card.  
Mantica *de tac. & amb. conv. c. l. 18. t. 2. n. 15. & seqq.*

XLV.

Absolvimus potissima, ex quo per Definitionis ex-  
plicationem Contractus nostri naturam exposuimus. Ast  
nec dum Disputationis hujus circumsumus emensi; quin  
ad personas nunc erit deveniendum, qui ad ejus celebra-  
tionem admitti posse videantur. Quid verò de his dicen-  
dum? Nolumus equidem vel ullum à *mutuo* deducere ar-  
gumentum, nè causam ipsimet reddamus ancipitem, qui  
paulò antè nè quicquam de eo participari diximus. Sed  
non veremur pro firmâ hanc ponere regulam, quod *qui-  
cunq; illud possint accipere illi etiam se literis possint obligare.*  
Sublumimus: Atqui Præsides provinciæ (loquimur secun-  
dum determinationem J. Romani) possunt accipere mu-  
tuum, etiam scænebre *l. 34. §. 1. ff. de R. C. E.* quanquam  
constet hos idem dare in totum prohiberi *l. 33. ff. eod. l. un.*  
*§. 2. C. de contract. iud. l. 3. C. sicert. petat.* Nec faller asser-  
tum istud in sensu contrario: cui jam non immorabimur.  
Ne autem, de quo denuò protestamur, hoc offendiculo  
sit, quod à contractu totâ specie diverso fundamentum a-  
liquod depromserimus. Esto enim in hoc tertio, quoad  
personas scilicet contrahentes, convenire, non tamen ij-  
dem erunt, nisi quoad hoc tertium, quod ipsam essenti-  
am non attingit. Poteramus aliàs, si quidem nimia uni-  
versalium cura nos fascinaverit, sic satis generaliter dice-  
re,

D

re,



re, quod qui contrahere, possint, aut saltem consentire  
(cum consensus contractibus omnibus communis sit l. 1.  
§. 2. ff. de pact.) illi quoque per Scripturam se obligandi  
habeant facultatem. Sed illo sic satis salvo cur ad hoc,  
quod à re paulò remotius, confugiamus?

XLVI.

In quibus rebus vel causis sibi locum Contractus hic  
vendicet altioris est indaginis. Quid enim si ex emto ven-  
dito, vel ex pravia transactione Te centum debere scri-  
pseris? Obligaberis utique. Sed an ex hoc Contractu? An  
ad eum effectum, ut quodcumque opus fuerit te tutum  
præstare possis opposita, quæ propria huic est, Exceptio-  
ne? Ita videri possit; nec desunt qui hoc sibi habent per-  
suasum. Cum verò & aperti textus, nùm 17 l. 11. & 13. C. de  
non num. pec. tum l. 26. §. fin. ff. de positi sic satis probent in  
istiusmodi casibus factam confessionem contra scriben-  
tem omninò probare; & ratio ipsa dicitur, eandem ipsam,  
quæ scripto allegatur, causam, negato nostri Contractus  
effectu, necessariò attendendam esse, quid restet amplius  
dubitationis? Neque tamen in solo mutuo, quod quidem  
sentire videtur Godofredus ad l. 1. C. de non num. pec. sed &  
in ipsa dote præsentì Obligationi suos constitui posse ter-  
minos docet l. penult. C. eod. Et his duobus non sine ratio-  
ne lura nostra præ reliquis videntur favisse, dum speciale  
ipsis concesserunt beneficium: eam verò recitabimus ver-  
bis Harprechti ex Scheidevino ad I. h. r. Ratio, dicit, cur i-  
stis tantùm casibus hæc exceptio (ast hæc Chirographariam  
obligationem præsupponit) locum obtineat præcipua illa vi-  
detur: quia homines faciliùs inclinant ad confitendum effrena-  
tè in his contractibus, quàm in ullis aliis propter affectiones,  
quas habent ad consequendas pecunias & uxores. Debitor ete-  
nim indigens pecunià facile, imò vel decies confessionem conscribe-  
ret,



ret, si modo spes consequenda pecunia affulgeret: & Sponsus fa-  
cilimè scriberet & profiteretur se dotem accepisse, dummodo  
Sponsa potiretur. Sed hæc exceptionem potius, quam con-  
tractum, qui intercesserit, respiciunt: de effectibus igitur,  
qualis & ipsa illa est, pro instituto aut temporis potius,  
quæ coarctamur, angustia vel unum saltem atque alterum  
adjiciamus.

XLVII.

Primarius est, qui ex obligatione ipsa resultat. Hic  
autem est actio, competens creditori adversus eum, qui  
scripsit. Ast quænam? Mira utique circa hujus determi-  
nationem se offert Dd. varietas. Sed nos paucis Condi-  
ctioni locum facimus cum Imp. *in l. h. t.* non ei quæ ex le-  
ge communiter appellatur; quanquam hæc in omnibus,  
ubi juris dispositio nos desituit, videatur admittenda per  
*l. un. C. de condict. ex lege*: sed ipsi illi, quæ certi dicitur, &  
alias frequentissimum usum obtinet. Neque tamen  
hoc Bachovij Sententiam superius excusam vel hilum  
juvet, cum nulla sit consequentia, si quis dicat: Ubicun-  
que adhibetur certi conditio ibi præsupponitur mutu-  
um: Quid enim, annon & Stipulatio eandem gignit acti-  
onem: *l. 24. ff. de reb. cred.* & tamen eo ipso naturam mu-  
tui non induit. Id ipsum autem dum asserimus cuilibet  
liberum relinquimus, an magis determinatè specialem  
aliquam ex literis condictionem agnoscere velit, cum  
accuratissimo Icto Wilhelmo Ludvvello *Comm. ad t. I. de  
L. 0. n. 4.* Oldendorpius sanè *class. 4. act. 30 n. III.* paulò  
generalius loquitur. In universam fundamenti loco ser-  
vire possint, quæ Tullius *in Orat. pro Roscio Comædo*, quan-  
quam in aliâ causâ, prolixè exponit & ex parte memoran-  
tur à Salmasio, jam antè commendato in *d. lib. de usur.*  
*cap. VI.* Nos properamus ad finem.



Hunc offerat contraria, quæ debitori à Legibus conceditur, *Exceptio*, ab Imperatoribus & Interpp. *non numerata pecunie dicta*. Hujus autem in præsentì vel mentionem tantum fieri suffecerit, quod tempus, quo hæc effudimus magis, quam elaboravimus, eidem explicandæ non sufficiat. Id unum notemus, quod non in simplici Exceptionis naturâ subsistat, sed & in modum querelæ proponi possit juxtâ *l. 7. C. de non num. pec.* Ast istud & reliqua, quæ à Dd. certatim quasi proferuntur, dubia singulari de Anargyriâ (ita enim Theophilus *πρωτης αναργυριος* *πρωτης αναργυριος* vocat) Dissertationi reservemus.

Jam ex debito dicimus

DEO GRATIAS.





33. Spener, gründliche Erörterung, nicht nur dem bey dem  
Christen gründlich. exorcismo zu Welt sz,

34. Struyck, de jure bibliothecarum.

35. Baumel, de gradibus cognationum.

36. Bivius de dispensationibus.

37. Bivius, de J. C. Vellejano.


38. Kumburg zu Hain de oblatione ad talem.

39. Stolze, de mariti in bonis uxorij paraphernalibus sibi  
competentis, effectus manuciatione qualitate paraphernali  
non nociva.


40. Stolze, de patre obtrata liberos circa testamentum pater-  
num aliunde degentes frustra invocante, de se cum hereditas  
zu de dem Vermögen zum Concursus Creditorum aufzuheben, sein  
Kindem ungründlich, nicht bey ihm, sich nicht, nicht auf-  
dem Ehem.

41. Stern, de eo quod iustum est circa nuptias.















creditori futuro? Eo ipso quidem  
sic explicante Fr. Card. Mantica, d.  
18. tit. 1. n. 15. quia tamen Chirogra  
numerata pecuniâ, nulla est obli  
sed res in se sic satis videtur mani

XXXIII.

Id dubij subnascitur, quid assi  
ni Dd. hypothese, quod quilibet e  
plici etiam ac nudâ, possit conver  
videatur. Eman. Costa ad l. si ex cau  
quique hunc allegat Dn. Franzk.  
namus aliquem in hunc modum  
cunque datur in personam actio il  
gationem. Atqui ex simplici etia  
personam actio. E. Majorem u  
Minorem verò communis illa In  
sicque, quod inde concluditur sat  
sistet, & per consequens non erit  
cautione. Sed quicquid sit non  
priori Sententiâ persistere, quod  
duntaxat confessione intelligend  
quam causam in se contineat; aut  
lis, vel Iuramento confirmata vel  
sta fuerit; de quarum neutrà nobi  
torum negatur, quod vel aliquod i  
sit fundamentum; præsertim cum  
numeravimus, casus suâ dubitari  
dum ea, quæ tradit Dn. Hahn. ad  
rum serinia jam non executamus.

XXXIV.

Sed duo adhuc requiruntur.  
phum sub solâ numerationis spe

tr confiteri;  
convent. lib.  
accedit, nisi  
dereb. cred.

ex commu-  
fione, sim-  
post Bartol.  
non num. pec.  
X. n. 10. Po-  
ri: Ex quo  
tinet obli-  
ne datur in  
negaverit;  
a inculcat,  
ustalo sub-  
ographariâ  
is tamen in  
a Dd. de eâ  
veram ali-  
vel judicia-  
pluntate fa-  
id verò in  
el fingi pos-  
es, quos e-  
ant, secun-  
V. ut alio.

Chirogra-  
& ex eo solo  
nasca-

